



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

6. Et Popvlis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11425

4. QVI CENTVM DELABOR AQVIS
COMITATVS IN ÆQVOR. Mela. Plin. Adamus
Brem. supra. n. 2. Strabo. l. 7. in *Britannicum*. Adamus Brem.
ad *Aquilonem*, sive *Borealem Oceanum*. Strabo. pleno latóq;
ore infra *Embdam*, illustre in Frisiâ emporium, effundit-
tur. Isac. Pont. lib. 1. orig. Franc. c. 9. longissimum enim
cursum tenet, plurimósq; interea fluvios recipit, atque
ingentem aquæ copiam in Oceanum defert.

5. ANTE PERERRATIS VRBIBVS. Falsò inter
urbes, quas Amisius pererrat, Althamer. in Tacit. de morib.
Germ. *Paderbornam*, *Bekenam*, *Monasterium* & *Osnabru-
gum* numerat. Nam partim longiore, partim brevior
intervallo ab ijs distat. Quas autem verè alluat, tabulæ geo-
graphicæ demonstrant; nimirum *Ritbergam*, *VVidenbruggi-
am*, *Rhedam*, *Varendorpium*, *Telgetum*, *Rhenam*, *Meppenam*,
ubi *Hasa* altero Caroli M. cum Saxonibus prælio & victoriâ
inclytus amnis confluit; & ad ipsum *Amisij* ostium *Embdam*.

6. ET POPVLIS. ANSIVARIIS olim, qui pulsi à
Chaucis Frisiorum limitaneos agros occupavêre. Tacit. 13. An.
& nomine quæsito ab *Amisio* aliter *Ampsiuarij* vocantur. Clu-
ver. Germ. antiq. l. 3. c. 16. ANGRIVARIIS, quorum *defectio à
tergo Cesari Germanico* ab *Amisiâ* ad *Visurgim* profecto, & *ca-
stra in levâ metanti nunciata*. Tac. 2. An. Cluver. Germ. antiq.
l. 3. c. 14. BRVCTERIS, quos in *Amisia* *Drusus* navali prælio supe-
ravit. Strabo. l. 7. & filius *Drusi* *Amisiam* & *Luppiam* amnes inter
hand procul *Teutoburgiensi saltu* vastavit. Tac. 1. An. CHAMAVIS,
qui *Bructeris* veris & antiquis *Amisij* accolis pulsus & excisus,
cum *Angriuarijs* in sedes eorum migraverunt. Tac. de morib.
Germ. Cluv. Germ. antiq. l. 3. c. 14. CHAVCIS, Isac. Pöt. l. c. orig.
Franc. c. 9. Altham. in Tac. de morib. Germ. Cluver. l. 3. c. 18.

G

& FRI-

& FRISIIS de quibus Ptolemæus l. 2. c. 12. *Frisij usque ad Amisiam, post hos Chauci parvi.* Hodie post *Frisios, Westphalos,* atque ex horum genere *Monasterienses, Rhedenses, Osnabrugenses, Ritbergenses & Delbruggenses* pererrat.

7. IN DIOECESI PADERBORNENSI NASCENTIS. Non in montibus *Hassicis*, ut *Altham.* in Tac. de morib. Germ. neque comitatu *Ritbergico*, uti *Stangefolius* lib. 2. *Annal. circul. Westphalici*, sed deserto *Sinedi*, profunda vestitâque arboribus valle, circa quam vasta planities.

DELBRVGGIA VLTIMA BRVCTERORVM SEDES.

I. DELBRVGGIA. Peculiaris inter *Luppiam, Amisiam, Vurlam, Glennâ*que amnes, & *Teutoburgiensem saltum*, Diœcesis & Principatus Paderbornensis ditio seu territorium, in quo, uno magno vico excepto, cæteri incolæ dispersis longo latoque spacio villis & tugurijs habitant, industrij, laboris patientes, & militiæ apti.

2. VLTIMA BRVCTERORVM SEDES. Tac. lib. 1. An. *Ductum inde agmen ad ultimos Bructerorum; quantumque Amisiam & Luppiam amnes inter vastatum haud procul Teutoburgiensi saltu.* Ultima verò Bructerorum sedes *Delbruggia* vocatur, non eo sensu, quasi novissima fuerit: Fuit enim hoc modo & ordine prima, aut certe antiquissima; sed respectu temporis, quo Germanicus bellum in Germania gessit, & reliquorum *Bructerorum*, qui ad inferiores utriusque fluvij ripas & ostia penè pertinuerunt.

3. VETE